BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 12r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



3

Non potuit esse inefficax oracio morientis. vnde et inimi
corum numerositas ad amicorum numerum transiuit. Vide quam
recto cursu stephanus et si non equat sequitur tamen redemptorem.
Volat saxorum ymber. et fortissimis inimicorum inuidorum
manibus loca uulnerum duplicantur. Sed patienter patitur coro
natus noster. de corona nominis ad coronam regiminis trans
ferendus. Nescit affectum carnis. et mortis horam ignorat.
et inde deliberat quid faciat eis. Positis autem genibus clamauit
uoce magna dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum.
quia nesciunt quid faciunt. Clamat uoce magna quia mag
na utique caritate. Positis autem genibus. quia uera et humili
simplicitate. Pro se orans stat et erigitur. pro lapidantibus
flectit genua. Quis audiuit umquam tale aut quis uidit
huic simile. Plus dolet persequencium peccata quam uulnera sua.
illorum iniquitatem quam suam mortem. Et cum hoc dixisset. ob
dormiuit in domino. Felix somnus cum requie. requies cum
uoluptate. uoluptas cum sacietate. sacietas cum securitate.
securitas cum eternitate. Obdormiuit inquit in domino. absorp
tus in claritatis abysso. et inter dei sui brachia requiescens.
Sedebat a dextris dei dominus ihesus. sed primo martiri assurrexit.
et detulit primo martiri mirum capitulum. Recolis quia illa ecclesie
lingua augustinum loquor de hoc martire senserit. quem
post mortem septem mortuos asserit suscitasse. Eia uos qui
leuitali ordine prefulgetis. cantate huic canticum nouum.
et tante festiuitati festiuis uocibus inclamate. Fortassis ade
rit concinnentibus. et suggerit de uobis domino suo. iudici nostro
ne statuat uobis aliquod peccatum. qui est deus benedictus in
secula Amen.

xii.